



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 55. Cæsar suis Prælatis accessum ad Synodum concedere cunctatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](#)

ribus verbis eos exciperet, injuriis quo- Sæcul. XVI.  
que afficerent; mox Florentini milites A.C. 1511  
puellam erupturi currunt, eam tuen-  
tur, gladiosque stringunt; Gallis vero  
vim repellere conantibus, verborum con-  
tentio ad cruentam cædem degenerasset,  
nisi utriusque nationis Belliduces dimi-  
cantium furorem cohibituri, omnem su-  
am auctoritatem impendissent; Lautre-  
cus quoque & Castillionæus, cum ad  
hunc rumorem accurrissent, leviter sau-  
cii recesserunt. Patres, quoniam tumultus in quodam compito prope Ecclesiam,  
in qua tertiam Sessionem eodem tempore  
celebrabant, contigisset, tanto terrore  
percellebantur, ut unanimi suffragio Sy-  
nodum suam Mediolanum transferre de-  
cernerent, spe freti, ibidem securitati  
suæ magis consultum iri, eisque majo-  
rem reverentiam esse exhibendam, cum  
præsidium hujus urbis non nisi ex galli-  
cis copiis constaret.

### §. LV.

*Cæsar suis Prælatis accessum ad Sy-  
nodum concedere cunctatus.*

Potissimum vero anxias Patrum curas Marian. lib.  
augebat Germanorum Prælatorum ab. 30. n. 24.  
sentia, qui Synodum accedere abhorren- Spon. ad an.  
tes, ægre Cæsari dederunt, ut Augustæ 1511. n. 25.  
conventus ageretur, in quo, an Germa-  
niæ

Sæcul. XVI. niæ Præfules ad Concilium mittendi es-  
A.C. 1511. sent, decerneretur. Ast hac super re ni-  
 hil decisum fuit (\*); quin imo non de-  
 sunt, qui Cæsarem, ut Imperii Præfules  
 Synodum accederent, remisse admodum  
 institisse credunt, argumento inde petito,  
 quod propositioni de pace privata facili-  
 mas aures præbuisset. Præterea San-  
 verinas Cardinalis Maximilianum vana  
 spe, frivolisque ac conflictis pollicitatio-  
 nibus lactabat. Acceserant insuper fer-  
 vidæ preces Petri de Urrea, qui Ferdi-  
 nandi apud Cæsarem Legatus illum ve-  
 hementer sollicitabat, ut sese ceteris fœ-  
 deratis Principibus jungeret, nomenque  
 fœderi daret, a quo Italiae securitas jux-  
 ta ac tranquilitas dependeret, pollicitus

*Raynald. ad etiam, a Fœderatis copias aurumque sup-*  
*ann. 1511.* *peditatum iri, quibus Mediolani Du-*  
*num. 53.* *catus occupari, ac Geldriæ Dux ad obse-*

*quium revocari posset. Evidem Maxi-*  
 milianus ab hoc consilio parum alienus  
 erat: ast quamvis hæc ipsa via ceteris  
 magis expedita, magisque secura sibimet-  
 ipsi videretur, nihilominus semper ani-  
 mo fluctuans, dubiusque etiam in pro-  
 missis vel maxime proficuis anceps hæ-  
 rebat.

§. LVI.

(\*) *Guicciardinus testatur, decretum fuisse,*  
*Pisanum Concilium seditiosum ac detestandum*  
*esse.*